



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio CLVII. Optimus animarum, imò & corporum Medicus est  
Christus Dominus, & hic crucifixus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

## CONSIDERATIO CLVII.

### Optimus animarum, imò & corporum Medicus est Christus Dominus, & hic Cru- cifixus.

*Qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu  
vitam tuam. Psal. 102. 3.*

i.

**E** Gregium Medicum se demonstravit Isaias Prophetarum Pri-  
nceps, dum Ezechiam Regem in lethalem morbum incidentem,  
ubi jamjam illi mortem vicinam prædixerat, per emplastrum  
ex ficibus compositum & contusum, mirabilem in modum  
curavit: *Jussit Isaias, ut tollerent massam de ficis, & cataplasma-  
ret super vulnus, & sanaretur &c.*

Isa. 38. 21.

Talem Medicum & ego quæro, imò meliorem ac potentiorẽ,  
qui solo verbo restaurat universa: Jacebat ægrotum universum genus  
humanum; venit magnus Medicus de cælo, prout S. Augustinus  
Christum appellat, hic venit curare vulnera nostra, & quid fecit? Audi  
S. Matthæum, cum narrasset varios morbos & morbos, ac energu-  
menos à Christo sanatos, subdit: *Ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam  
Prophetam, dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras por-  
tauit. O insignem Medicum! Quis unquam Medicorum infirmitates  
ægrorum in se suscepit? Hoc fecit Christus.*

Matth. 8. 17.

2. David Rex non obscure prævidit, qualis Medicus suo tempore  
sit futurus Christus Filius David, unde de illo vaticinatus est: *Qui propi-  
tatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de  
interitu vitam tuam.* Ex quibus collige, quòd JESUS sit Medicus generalis  
& universalis omnium, tum corporis, tum animæ infirmitatum, unde  
de illo Mellissius: *Ecce, inquit, Dominus venit cum salute, venit cum unguen-  
tis, venit cum gloria. Neque enim sine salute JESUS, neque sine unctione Christus,  
nec sine gloria Dei Filius; siquidem ipse salus, ipse unctio, ipse gloria. Respirate  
perditi, venit JESUS quarere & saluum facere quod perierat. Morbidi convalescite,  
venit*

Psal. 102. 3.

S. Bernhard.  
serm. I. in  
Vigil. Nat.

venit Christus, qui contritos corde sanat unctione misericordiae suae. Samaritanum illum optimum Medicum, Christi typum, consule, qui appropinquans ad vulneratum à latronibus alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum. *Luc. 10. 34.*  
 O nobilis Medicus: qui non ob lucrum, sed ob amorem de ægroto est sollicitus: Dominus Sator tuus; unde Jeremias: Sana me Domine: saluum me fac. & salvus ero: quoniam laus mea tu es. O quam bene in prædictum Psalmum Magnus ille Aurel us Augustinus: Magni, inquit, sunt languores tui, sed major est Medicus. Omnipotenti medico nullus languor insanabilis occurrit, tantum tu curari te sine. Manus ejus ne repellas, novit quid agat. Non tantum delecteris, cum fovet: Sed etiam tolere, cum fecat. Tolera medicinalem dolorem, futuram cogitans sanitatem. Hæc S. Augustinus.

3. Et quis, obsecro, infirmorum ad Christum Jesum venit, & spe sua frustratus est? Venit Cæcus natus & quidem in die Sabbati, & tamen ab illo illuminatus est; Criminabantur quidem Pharisei Christum Sabbati violatorem, verum cæcus jam videns eum defendit, deditque gloriam DEO & suo Medico: O mirabilis Medicus, qui ex luto & sputo cæcum illuminavit: Vade, & lava in Natatoria Siloë; illa autem Natatoria erat typus Passionis Christi. *Jo. 9. 7.*

Venit aliâ vice ad hunc cœlestem Medicum mulier quædam, quæ habebat spiritum infirmitatis decem & octo annis, & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere, ad quam mitissimus Salvator: Mulier dimissa es ab infirmitate, & imposuit illi manus, & confestim erecta est, & glorificabat Deum. *Luc. 13. 12.*

4. Vis plura talia argumenta conglomerata? Capharnaï sanat filium Reguli, qui jam incipiebat mori. Ibidem in Synagoga Dæmoniacum à pessimo dæmone sanat ac liberat; Socrum Petri febrientem, multosque ægros tempore vespertino sanat: Omnes male habentes curavit, ubi non dedignatus est manibus suis purissimis & divinis tangere ulcerosos, saniosos, scabiosos, leprosos &c. ut contactus sui divini vim & efficaciam ostenderet. Ad piscinam probaticam in Sabbato sanat ægrum per 38. annos in infirmitate sua jacentem. In regione Gerasæ norum duos dæmoniacos sanat, ac dæmonibus permittit ingredi in porcis, qui eos in mare præcipitant. In Bethsaida cæcum illuminat dicentem: Video homines sicut arbores ambulantes. In Naïm filium viduæ à morte suscitât: Adolescens tibi dico surge. In civitate sua, hoc est Capharnaï, in quo loco frequentius habitabat, paralyticum in anima & corpore sanat: Conside fili; remittuntur tibi peccata tua Archisynagogi filiam à morte revocat & Homorhoissæ fluxum sanguinis sistit. Cum de monte Thaboræo descenderet, ejecit dæmonem lunaticum, quem *Jo. 4. 50.*  
*Marc. 1. 23.*  
*Matth. 8. 16.*  
*Jo. 5. 2.*  
*Matth. 8. 28.*  
*Marc. 8. 24.*  
*Luc. 7. 11.*  
*Matth. 9. 2.*  
*Matth. 9. 18.*

Ginther Unus pro omnibus.

Ffff

Disci-

**Matth. 17. 24.** Discipuli eicere non poterant; quia hoc genus non eicitur nisi per orationem & jejunium. Lazarum quatrduanum de sepulchro evocavit, & suscitavit.  
**Jo. 11. 1.** Vide, & considera, anime mi! magna opera Domini & divini illius  
**Jo. 21. 25.** Medici, de quo S. Joannes Ap. *Sunt autem & alia multa, qua fecit Jesus, qua si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mandum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.*

5. Et quid dico? Christus Dominus in passione & cruce fuit miraculum miraculorum, fuit enim portentum, imò abyssus humilitatis, patientiæ, obedientiæ, charitatis, forditudinis, martyrii, omniumque virtutum: O DEUS T. O. M. inter duos latrones! quid hoc? O eni obstupescite super hoc, & porta eius desolamini vehementer: O bone Jesu, quid tibi est? Subintrat hic S. Bernhardus, *mori nos debuimus & tu solvis? nos peccavimus, & tu luis? Opus sine exemplo, gratia sine merito, charitas sine modo.* O vae illi Christiano, qui non amat Dominum nostrum Jesum Christum & hunc Crucifixum!

Audi Ecclesiasticum, quid dicat de honorandis Medicis & de utilitate medicinæ: *Honora Medicum, inquit, propter necessitatem:* Et subdit rationem: *Etenim illum creavit Altissimus, à Deo enim est omnis medela.* Et ita est: Reverentiam primò debes tuo medico, secundò obedientiam, tertio sustentationem personæ condignam. Subintrat hic, & subinfert Cornelius, hic. *Cornelius: Maxime autem omnem honorem debemus Christo Domino, qui Medicorum est Medicus, tam animæ quàm corporis: Quique iheriacam præstantissimam contra omnes morbos non aliunde, quàm ex Sanguine suo confectam nobis exhibet.* Unde S. Petrus: *Ipsius livore sanati sumus, & ex eo S. Mattheus: Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* O salutarem Medicum.

**Luc. 7. 37.** 6. Languerat Magdalena in corpore & anima, & à Christo Medico in utroque adjuvatur, dum ab ea septem dæmonia eiecit, & à peccatis absolvit; hinc ut se tanto benefactori gratiam exhiberet, venit opportuno tempore in domum Simonis Leprosi, *habens alabastrum unguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis.* S. Marcus habet: *Et fracto alabaastro, effudit super caput ejus.* Cur fracto alabaastro? An quia prævenit ungere corpus Jesu in sepulturam? Et ita quidem est; quod & ipsa Veritas affirmavit. Sed aliud hic latet mysterium.

**Hugo Card.**  
*uper Epist ad*  
**Hebr. c. 2.** **R.** Eminentissimus Hugo Cardinalis, per dictum vas alabastrices contractum, humanitatem Christi, summi Medici nostri non incongrue posse subaudiri: *Per viscera, inquit, misericordiae Dei nostri visitavit nos Orius ex alto: Viscera misericordiae fuerunt vulnorum nostrorum unguenta & medicina, quas super nos fundit fracto alabaastro in cruce, unde tota Ecclesia repleta est ex odore unguenti, & sanata.* O quantus ille Medicus, qui etiam moriendo regros suos

suos sanitati restituit! Audi S. Bernhardum: *Filius Dei altissimi iubetur occidi, ut vulneribus meis pretioso sanguinis illius balsamo medeatur.* S. Bernhard. serm. 4. de Nat. Dom.

7. Ezechias Rex, ubi impensissimè DEum in agritudine sua pro salute & restitutione virium oravit; & nunc intellexisset adhuc quindecim annos ad vitam suam adjiciendos, lætus de lecto surrexit, & in signum grati animi DEO sospitatori suo carmen eucharisticum cecinit, ubi inter alia habet: *Projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.* Et quomodo hoc? quomodo Deus peccata nostra post tergum suum solet projicere?

8. Pereleganter prædictus Hugo Cardinalis: *In cruce, inquit, proprie projecit Dominus omnia peccata nostra post tergum suum, tanquam crosellum latronum, id est omnium nostrum portans. Et ideo in cruce suspensus est, tanquam inventosello latronis super eum.* *Eccè infinitum erga nos amorem hujus divini Medici, dum peccata nostra in cruce post tergum suum projicere voluit, ne scilicet ea videret antefaciem suam ad puniendum.* Hinc Psalmista rogavit: *Averte faciem tuam à peccatis meis: Et omnes iniquitates meas dele.* Hoc & ego humiliter rogo, & non obstantibus sceleribus meis adrepo fidenter ad Deum meum, non jam fulmine armatum, sed undique vulneratum in cruce, exclamans contritus:

*Parce mihi Domine &c.*



# CONSIDERATIO CLVIII.

Christus Crucifixus est Bibliotheca nostra, & liber scriptus intus & foris ab omnibus legendus.

*Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum.* I. Cor. 2. 2.

1.

**M**irabilis erat illa conversio Eunuchi Reginae Candacis thesaurarii & viri potentis, qui, cum ab Hierosolyma in cuius templo DEum adoraverat, in patriam & Æthyopiam reditum pararet, in curru Scripturam legit, & inter alia Isaiam Prophetam. Interim Spiritus Sanctus S. Philippum Diac-

Ffff 2

num